

1275 Dez. 27.

[1]

Incorporation der Pfarre Legden in das Stift Asbeck.

I. f. 26.

In nomine sancte et invide Trinitatis amen. Que geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, litterarum testimonio solent confirmari. Inde est, quod nos Gisla priorissa totusque conventus ecclesie beate Margarete in Asbeck ad noticiam posterorum nostrorum in scripto et per scriptum transmittere curavimus, quod a nobis non solum utiliter, verum etiam laudabiliter factum est, ut speramus, ne posteris nostris hoc nostrum factum non innotescat, et ut successorum nostrorum nos maledictio non subsequatur, sed ipsorum cum Dei benedictione et graciarum actione semper comitetur oracio et nulla aboleat vel abradat obliuione vetustas, quod tam feliciter felici memorie commendatur in scripto, et ut quod a nobis pro nostre possibilitatis modulo in modico conspicunt inchoatum, maiori et meliori, cum facultas suspettit, perficiant additamenti complemento. Nos igitur G. priorissa, quod presentibus notum est, posteris innotescere curantes, hoc scripto presenti cunctis liquide notum facimus, quod nos divina nobis inspirante misericordia defectum vestiture nostri conventus et querelosam dicti conventus contra nos murmurationem attentes et eam sedare volentes, communicato prudentium virorum consilio, ut querelantes compesceremus et eisdem satisfaceremus, necon et ipsis in posterum providendo caveremus, de bona nostra voluntate ob remedium anime nostre, non aliquo cogente, sed libere et absolute, de unanimi tamen consensu dicti nostri conventus ipsi conventui

dotem ecclesie in Legden **cum** omnibus suis proventibus integraliter assignavimus perpetuo obtainendam et libere possidendum, renuntiantes omni juri, quod nos in ipsa dote **specialiter** habuimus vel habere poteramus ratione et nomine nostri prioratus sive **nostre** prelationis, ita ut conventus dicte dotis proventus cum omni sua **integritate** sine contradictione qualibet percipiat, cum emergunt. Ne quis autem, quod absit, hoc tam pium factum nostrum in posterum irritare vel infirmare presumat, presentem cedulam sigillo ecclesie nostre roborantes fecimus **communiri**. Sed et ne quis contra hoc calumpniosam prorumpat in insaniam, sed ut fortius valeat, nec quisquam contra id attemptet, sigillum prepositi Varlarensis **unanimiter** rogavimus apponi. Datum et actum anno Domini M^o. CC^o. LXX^o. quinto . mense decembri in die beati Johannis apostoli et ewangeliste.

Orig. 2 Siegel von schwarz=weißen Seidenstücken ab.